


231



229

235

225

240

220

280

180

330

130

Ende

Anfang

visitans in Papho templum Veneris ei hostias deferret, ipsa Venere consentiente Helenam rapuit Paris, ex quo subsecutum est trojanum bellum et occisus Achilles, qui in nuptiis praefatis conceptus fuerat, ad quos Discordia vocata non fuerat, et sic expiata est injuria et multus effusus humanus sanguis fuit. In eodem horto celerabant antiqui festa floralia et ludos florales ad placandam Nympham Floram, deam florum, cui omne jus in flores contulit Zephyrus pro eo, quod sua voluntati paruit, qui ludi memoriae meretricis conveniunt, nam omni lascivia et verborum licentia, quibus omnis obscoenitas effunditur, positis flagitante populo a meretricibus vestimentis, quae ludis in illis mimorum fungebantur officio, celerabant. Et haec turpis celebritas mansit usque ad praedicationem Apostolorum, unde legitur in Legenda beati Barnabae, qui dum Paphum (150 a) venisset ad locum illum cum Johanne, invenerunt ethnicos viros et mulieres nudos currere in viridario in festorum floralium celebratione, et statim Barnabas templo maledixit, et corruit, et praedicantes civitatem ad Christum converterunt, Actor. XIII. Non autem solum viridianum Venus suo consecraverat ritui, sed montem civitati superimminente libidinosis sevit plantulis et umbrosas cavernas in monte plurimas fieri fecit consecratas vel potius exsecratas suo cultui, unde mons ille mons Veneris nuncupatus est usque in hodiernum diem. Est autem mons altus, ascensum habens arduissimum, et in summitate planitiem latam ad duo milliaria, rupe altissima ut muro circumcineta, ubi dii veterum de siderum cursu et de mundi ordine tractabant. Ibi crescit vinum praecipuum, in quibusdam enim locis adeo fortia crescent vina, quod nullo ligneo vase retineri possunt, et in principio sunt vina illa nigra, et dum veterescunt, albescunt et clarissima fiunt. Dicitur etiam, quod in quibusdam locis crescat vinum adeo forte, quod ad nullum usum humanum valeat primo uvarum expressio, sed in terram decurrere sinitur; secundam expressionem medici accipiunt et apothecarii et conficiunt corrosivas medicinas, et demum tertia expressio in usum humani potus assumitur et fit potus regius.

Alia etiam pretiosa ibi crescent, et dicunt, olim etiam balsamum ibi creuisse, qua propter nonnulli putabant, Salomonem de hac vinea cecinisse Cantici II., cum dixit: Botrus Cypri dilectus